

PRAEFATIO.

Ex Aeschyli tragoediis, quae ad nostram memoriam manserunt, antiquissima est Persarum fabula. Eam enim sub Menone quem Ol. 76, 4 = anno 472 a. Chr. archontem fuisse Diodorus¹⁾ est testis, a poeta doctam esse ex didascaliam in cod. Mediceo perscripta scimus. Neque vero multo ante quae ad Salamina cum ab omnibus Graecis tum imprimis ab Atticis praeclare erant gestae res a Phrynicho poeta ad scaenarum actus compositae erant in Phoenissis, quas sub Adimanto, qui Ol. 75, 4 = anno 476 a. Chr. magistratum gessit, Athenis actas esse veri simile est. Plutarchus²⁾ enim memoriae tradit, illo anno a Phrynicho fabulam aliquam esse datam chorumque a Themistocle exstructum. Inde autem quod Phoenissae, cum in iis victoria navalis ad Salamina reportata describeretur, in rebus gestis Themistoclis tractandis maxime versatae sunt, effici cogique potest, eam ipsam fuisse fabulam, quae sub Adimanto acta esset. Cuius tragoediae argumentum simplicissimum fuit. Acta enim est res Susis in nobilissima Persarum urbe. Eunuchus quidam qui stragulis tegebat solia eorum qui

1) Diod. XI, 52.

2) Plut. Them. c. 5. Θεμιστοκλῆς Φρεάριος ἐχορήγει, Φρόνιχος ἐδίδασκεν, Ἀδείμαντος ἤρχεν.